



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Scholastici, Vel Qvæstionarii Doctores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

in Catalogum Patrum, et si floruerit tempore Scholasticorum, circiter annum Domini 1115. Magno in pretio fuit propter vitæ sanctimoniam & doctrinam: ad multorum etiam Regum ac Principum controuersias componendas adhibitus. Acriter pugnauit pro iustificatione gratuita per solam fidem, contra operum merita, & liberum arbitrium. Papæ, Cardinalium, Episcoporum, aliorumque clericorum impietatem grauius reprehendit. In quodam sermone pulchre de coniugio dixit: *Tolle de Ecclesia honorabile coniugium, & thorum immaculatum: nonne replebis eam concubinariis incestuosis, semini fluis, molibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?* Obiit anno Domini 1153. ætatis 64.

SCHOLASTICI, VEL QVÆSTIONARIII DOCTORES.

Veteris Theologiæ Scholasticæ initia cœperunt, circa annum Domini 1020. tempore Lanfranci Papiensis, qui Berengarii Antagonista fuit, Archiepiscopus Cantuariensis. Certum est, ante illud Lanfranci seculum, vnus fere Augustini, secundum verbum Dei scriptum, doctrinam inter Christianos quosque doctissimos obtinuisse, atque diligentissime tanquam per manus traditam fuisse. Nam primum ab Egipto, qui Fulgentio fuit ætate æqualis, postea etiam ab ipso met **FVLGENTIO**, deinde à Primasio Afris Theologis; postea autem

autem Isidoro Hispalensi Episcopo : Maximo Taurinensi : Prospero Gallo : Conciliis etiam totis, velut Aurasiaco, & Constantinopolitano sexto, approbata perpetua quadam temporis successione semper fuit. Denique ante Carolum illum Magnum Imperatorem à Beda Anglo Saxonum defensa est, atque etiam abs Bedæ discipulis diutissime, velut Alcuino, Claudio, Rabano Mauro, & aliis quamplurimis per annos plusquam quingentos retenta est. Igitur cum sola diu lecta esset, ac per locos etiam communes collecta & tradita: cœptum est tamen paulatim progressu temporis ab August. sententia, cum aliis in rebus, tum vero præsertim in articulo de Sacramento S. Domini cœnæ discedi, gliscentibus nimirum in Ecclesia Dei variis iam erroribus. Nam mysterium illud iniquitatis, & universalis Apostasiæ Satan iam multum per Romanos Pontifices promouebant, & immanem illum Transubstantiationis errorem, fontem aliorum infinitorum parturiebat. Huic labi, & sanæ doctrinæ corruptelæ tam perniciosæ, quæ fieri cœperat, opposuit sese constanter, pro suo in Dei veritate tuenda zelo, Berengarius, ille Andegauenſis Archidiaconus, Gallus, vir habitus ætate sua eruditissimus, qui veterem Augustini sententiam reuocare, & (quanquam ipse durius nonnunquam loquebatur de Sacramentis) retinere studuit. Sed Berengario id agenti sese opposuit altera ex parte Italus quidam, nomine Lanfrancus, qui Papiæ in Italia Theologiam profitebatur.

Cæte.

Cæterum Lanfranci Itali, Pontificum Romanorum errorem de Transubstantiatione tuentis disputationes contra Berengarium Gallum, ex Augustino sua defendentem, sustentatæ à Guitmundo Archiepiscopo, & aliis Italicis hominibus pertinacissime confirmatæ effecerunt, ut primum prætermitteretur, post autem etiam omnino negligeretur, quæ tamdiu in Ecclesia invaluerat, Augustini authoritas, doctrina, ac sententia: Ex quo euenit, ut, qui se Theologos profitebantur, deinceps suæ doctrinæ, & Theologiæ fundamenta non eadem sumerent, quæ veteres: sed solum ea, quæ iam receptis opinionibus, quanquam erroneis, partim etiam Philosophicis rationibus probatis, partim etiam ipsius Pontificis Romani, velut irrefragabilibus, decretis constarent. Pro his tam anxie, quam pro verissimis, ac sanctissimis Dei ipsius aris pugnant, acerrimeque dimicabant. Additum quoque est isti camino oleum. Nam Lanfrancanorum factio & studium à Romanis Pontificibus contra Berengarianos, quos vocabant, laudabatur; & doctrina Lanfranci, sententiaque etiam Vercellensi Concilio, suffragio Italorum hominum, (qui illuc frequentes conuenerant,) & Lanfranci discipulorum aperte melior iudicata fuit, adeoque postea Berengarius ipse truculentissimis Nicolai papæ minis ad palinodiam coactus est: quod ita hominum animos commouit, ut ex eo tempore certatim omnes (verbo Dei spreto, & Orthodoxorum patrum scriptis neglectis, aut eatenus probatis, quatenus opi-

nioni-

nionibus iam receptis suffragabantur) in eam doctrinam incumberent, quæ Lanfrancianæ simillima esset, id est, quæ Pontificū decreta, receptos iam in Ecclesia ritus, & opiniones celebres, (quacunque tandem ratione semel irrepsissent) in Ecclesia proponebat, ac tuebatur. Ex hoc fonte innumerabiles disputationes, & quidem statim, ortæ sunt: quæstiones inutiles extra Dei verbum agitæ, & difficultates propositæ. Denique Theologicæ sententiæ ac definitiones omnes ad ritus iam vsitatos, & recepta duntaxat placita atque ἀγέρκοντα, non ad verbum Christi reuocata sunt, & exigī cœpta. Tandem de his ipsis rebus regulæ, velut *κρείαι δόξαι*, & vt Dei ipsius oracula, traditæ, & libri scripti, & contentiones susceptæ. Quid amplius? veterum etiam patrum scripta, quo iure, quæ ve iniuria, ne noua censeretur istiusmodi congeries, ad huiusmodi consarcinationes fuerunt accommodata. Ergo tandem ea doctrina nata, conflata, constituta, & compilata est, quæ Scholastica Theologia appellata est, & sola pro vera Theologia habita. Scholasticos autem sese peculiari appellatione nominarunt, & quod quæ in Scholis publicis docebantur, quasi ab omnibus probata traderent, & quod difficilem in suis Scholis disputandi rationem retinerent: adeo vt aliam apud populum docendi rationem sequerentur. Nam & distinctiones, & locutiones snas, & quæstiones in Scholis retinent, quæ sunt reliquis omnibus Christianis ignotæ, & ad *συρφετώδη*, ac *σχετηνὸν* potius disputandi vsum, quam ad yllam consci-

entia-

entiarum ædificationem constitutæ. Itaq; quod ea doctrina ad populum minime pertineret, etiam Scholasticam appellarunt. Produxerunt autem Scholastici Doctores Sophisticam meretriculam, vt honestæ matronæ, sic Philosophiæ nomine & pigmentis exornatam, in mediam Ecclesiam, cum maximo ipsius Ecclesiæ damno; adeo vt Philosophi potius sint, quam Theologi dicendi. At enim, inquires, non sine magnis laboribus, multisq; vigiliis, acutam illam disputandi scientiam sibi compararunt. Sit ita sane: Verum enim vero, quum Scholasticos Doctores in suis acutis disputationibus laborantes, sudantes, anhelantes videmus, nobis Troianorum in mentem veniat, qui magno labore equum illum à Græcis fabricatum in suam urbem introduxerunt, vnde consecuta est ipsius urbis euersio. Sic enim Scholastici falsam Philosophiam magno conatu & studio in Ecclesiam attraxerunt, vt tanquam ex equo Troiano, innumerabiles errores prodierint, qui quidem, custodibus Ecclesiæ, somno, desidia, & inscitia iam pridem sepultis, Ecclesiam ipsam inuaserunt, corruerunt, vastarunt: ita vt nisi tum Dominus nobis aliquot reliquias fecisset reliquas, profecto nullam iam Ecclesiam haberemus. Ex multis autem Scholasticorum erroribus, quosdam tantum colligamus.

Primus error, quem videntur Scholastici in suis disputationibus admittete, is est, quod solent ex principiis Logicis disputare, atq; inde arcescere suas cōclusiones. Itaq; ppositis quæstionibus,

bus, non scripturæ locos, sed vt plurimum axiomata Logica, & Maximas topicas, aut eo etiam aliquid minus, substernunt, in eorumque disputationibus scripturam muta est. Sæpe enim Philosophos, ac perraro Apostolos appellant: & si quando veteres etiam Doctores adhibent, tum illorum auctoritatem cum Scripturæ auctoritate confundunt, neque dubitant eorum scripta nomine scripturæ significare. *Lomb. l. i. sent. dist. 34. & l. 2. sent. dist. 9. & passim.*

Secundus error hic est, quod de rebus Theologicis in vtramque partem, ac Topicè disputant ex probabilibus argumentis. Quin etiam sæpe illis accidit, vt multis ac variis argumentorum fluctibus, modo in hanc, modo in illam partem iactati, nesciant, quem se tandem in portum recipiant: adeo vt Scotus ille subtilis, & plerique alii, rem dubiam ac minime definitam in medio relinquentes, permittant Lectoribus, in vtram velint sententiam discedere: *Si in hanc, inquit, ita respondeo contrariis argumentis: Si in illam, ecce tibi: quod rursus ad contraria argumenta respondeas.* Quid, quod multis objectionibus propositis sæpe subsistunt, & *Quare, inquit, solutionem.* Item, *qui potest, respondeat.* Obsecro, hoc cene est Theologicè disputare?

Tertius error hic est, quod veritatem obscurant suis argutiis, nedum illustrent. Nam quæ sunt difficilia, reddunt ipsi spinosis & contortis quæstionibus difficiliora: quæ vero per se facilia sunt & perspicua, illi obscuris quæstionum involucris obducunt; nodū, vt vulgo dicitur, in scirpo

Teirpo quærentes. Quare quod aliquando dixit, Augustinus; *artem Sophisticam esse cavernam Caci per similem*: egregie videtur in Scholasticos quadrare, qui dum peregrinis dogmatibus, tanquam alienis diuitiis, gloriantur; adeo obscuritatē affectant, & latebras quærunt, vt quoties disputant, non res ipsas aperire, sed operire potius, & non tam hominis vocem, quam obscuros quosdam mugitus, ex tenebricosis illis quæstionum speluncis, edere videantur.

Quartus denique hic error est, quod Scholastici, vel potius Quæstionarii Doctores, terunt tempus in vanis & curiosis quæstionibus, iisque non tam explicandis, quam implicandis, quas *νεροφωρίας* Apostolus vult ab Ecclesiastico Doctore cohiberi. 2. Tim. 2. Et paulo post: *Stultas, inquit, & ineruditas quæstiones reiice, sciens eas gignere pugnas*. Quod quam verum sit, manifeste patet ex ipsis Quæstionariis, quorum vix duos reperias, qui in vnam eandemque sententiam conueniant. Sic plerunque videas à Thoma Scorum, à Scoto Occamum, ab Occamo reliquos dissentire; ita vt vix possis in eorum scripta ingredi, quin statim in eiusmodi altercatione vertigium ponas.

Cæterum ipsius Theologiæ Scholasticæ triplex ætas obseruanda est: *Vetus, Media, & Noua*. Veteris Theologiæ Scholasticæ initia à Lanfranco Papiensi cœperunt: sed ea durasse postea videtur, vsque ad Albertum Magnum, pene per annos 200. videlicet ab anno Domini 1020. vsque ad annum 1220. quo tempore

N

Lute-

Lutetiæ Parisiorum ipsum Scholasticorum Theologorum Collegium, quod Sorbona dicitur, ædificari cæptum est. Hæc vero verus Scholastica Theologia pudenter adhuc erat, & quanquam Patrum Ecclesiasticorum dicta ipsi verbo diuino æquabat, tamen verbum Dei tractabat, & commentariis pro captu illorum hominum, id est, pro ignorantia & barbarie illius ætatis explicabat. Aristoteles quidem in ipsius S. Theologiæ templi & sacrarii limen iam introductus erat: nondum tamen in ipsum templum, vel illius adytum. Id quod tamen postea perripit, ac potius à Media Scholastica, quæ secura est, deductus fuit.

Porro Lanfrancus, cum Ecclesiam Cantuariensem, magna tam industriæ, quam prudentiæ laude, per totos 19. annos, rexisset, è viuis excessit, anno 1089. 24. Maii febricula, quod sæpe optauerat, absumptus, & in Ecclesia sua, quam multum locupletarat, & ædificiis nouis ornauerat, honorifice tumulatus est. Palatium Archiepiscopale, quod est Cantuariæ, fere totum construxit.

Sed hoc (quo nihil magis ad laudem ipsius pertinet) nullo modo prætermittendū est, quod in deprauatis S. Bibliorum exemplaribus, quæ vbique per Angliam tunc temporis fuerunt vitiosissima, emendandis, multum vtilissimumq; laborem infumserit. Descriptis eius nihil attinet dicere, à Balæo sigillatim recensitis, quorum quamplurima doctorum manibus quotidie referuntur,

Beren-

Berengarius autem, aduersarius Lanfranci, fuit Ecclesie Andagauensis Archidiaconus, Platina teste, vir sanctitate & doctrina insignis. Is dogmati iam inualescenti de elementorum euanescentia & conuersione substantiali in ipsam corpus & sanguinem Christi, publice contradicens, doctrinam Tertulliani, Ambrosii, Augustini, & aliorum Patrum, Scoti item & Berttrami palam professus est, atque defendit: elementa non abiicere substantiam, sed retinere materiam, & esse corpus atque sanguinem Christi mystica significatione, h. e. esse corporis & sanguinis Christi Symbola & figuram. Scripta quidem eius nulla extant, haud dubie oppressa aduersariorum artibus atque tyrannide. Centuriatores Magdeburgici recitant quatuor hypotheses doctrinae Berengarii ex Lanfranco, in quibus candor merito desideratur. De sua sententia aduersus Transubstantiationis errorem, tunc vulgo inualescentem, conferebat Berengarius cum multis eruditis familiariter; praesertim cum Lanfranco amico tunc Cadomensis Abbate in Anglia, tandem ob damnatum amicū, Cantuariæ Archiepiscopo facto; ad quem de controuersia Eucharistica scripsit Epistolam, quam clerici absente Lanfranco resignatam miserunt Romam ad Leonem IX. Pontificem. Is statim coacta Romæ Synodo Berengarium absentem, & in auditum hæreseos damnauit.

LANFRANCVS propter Epistolam Berengarii, vt ipse quidem scribit, in suspicionem addu-

N 2

aus,

Etus, quasi cum eo sentiret, iussus est eius sententiam scripto refutare; quod dum facit, & doctrinam ex Augustino desumptam, aduersus presentiam realem carnis & sanguinis Christi, sub speciebus signorum, sophisticè deprauare atque euertere studet, ansam præbuit Scholasticis, ut Transubstantiationis dogma pertinacius deinceps tuerentur. In ea vero Synodo indicta fuit Synodus alia Vercellis celebranda. Erat hoc anno DOMINI 1050. Eodem igitur anno mense Septembri, ad Vercellensem Synodum vocatur Berengarius, verum grauatius præiudicio, & periculo territus non comparuit. Letus est ibi primo liber Iohannis Scoti, & damnatus. Deinde exposita est Berengarii sententia, pariterque damnata. Rursus audita est Lanfranci, qui in ea Synodo regnabat, sententia & omnium approbata calculus. Duo clerici à Berengario missi ad Synodum, protinus atque Berengarium defendere, excusareque orsi essent, clamoribus oppressi, & in vincula coniecti sunt. Iam enim Romanenses carcere & ferro disputare didicerant.

Nihilominus Andegavi, Turoni, & in Gallia approbatur vetus doctrina de Eucharistia, quam constanter assererat Berengarius; & improbabatur Transubstantiationis contrarium nouum dogma. Post annum vero quintum, Victor Papa, qui Leonis defuncti exuuiis rulerat, Florentiæ celebrauit Synodum, in qua definitionem Vercellensis Concilii confirmauit, & missio legato Hildebrando in Galliam, Turon-

Turoni, in patria Berengarii, aliud Concilium indixit, in quo data Berengario facultas defendendi partes suas. Animaduertens vero is, se vi oppressum iri, cretizandum sibi ratus cum Cretenfisibus, aduersariorum impetum fregit scripto, pronuncians, se communem de hoc articulo Ecclesiæ doctrinam amplecti, teste Lanfranco. Quo dicto, uti recte quidam scripsere, magis elusit Concilium & Legatos Pontificios, quam libertatem confessore dignam seruauit. Professionem tamen veritatis postea minime abiecit, aut dissimulauit. Iterum igitur anno 1058. à Pontifice Nicolao Secundo, Romam ad Concilium euocatus, & per carcerem mortisque metum in confessu 114. Episcoporum ad palinodiam ab Humberto quodam Cardinali Burgundo scriptam adactus est, adeo crassam & crudam, ut ipsos Pontificios eius paulo post puerit, atque etiamnum pudeat. Recitatur ea à Gratiano in decretis de consecrat. distin. 2. cap. *Ego Berengarius*: & Tom. 2. Concil. fol. 765. Offendit multos ea Berengarii pusillanimitas, tamen is recantationem sibi violenter extortam nec excusauit, nec ratam habuit, sed ductus pœnitentia abnegatæ veritatis cum Petro lapsum deplorauit. Quin & scripto edito publice palinodiam suam reuocauit, testificans, per vim ab se extortam esse. Addunt alii scriptores, Hildebrandum, qui nomen Gregorii VII. in Pontificatu habuit, denuo contra Berengarium fulmen strinxisse, & conuocata Synodo in basilica Lateranensi eum hæreseos damnasse, anno Domini 1079.

Tunc igitur Berengarius, fulminum Papalium pertæsus, omisso docendi munere, atque literarum studio, omnia sua pauperibus erogans, de cætero manuum labore sibi victum quaesivit, sicque de semel admisso abnegationis scelere perpetuam pœnitentiam egit, tandemque in fide vera, & constanti, ex hoc seculo feliciter ad Dominum emigravit. Mortuo Berengario, non tamen vna cum eo extincta quoque est vera de sacra Cœna sententia & doctrina. Nam Bernhardus, Abbas Clareuallensis, annis circiter 30. post mortem Berengarii veteris Ecclesie de mysteriis doctrinam constanter retinuit. Erant vero Episcopi & Doctores passim, post mortem Berengarii, omnes Papæ Romano turpiter sunt adulati, & dogma conuersionis præstigiiosis disputationibus defenderunt: tamen diuina providentia factum est, vt Sophistæ saltem Augustini quadam ducti reuerentia, subinde contra se ipsos veritati testimonium dixerint: vt Algeri, Lanfranci, & aliorum scripta testantur.

Neque posteris temporibus defuerunt ex ipsis Decretistis & Scholasticis Doctoribus, qui talia scriberat, quæ recepto errori repugnarent; pro veritate autem in Berengario damnata manifeste starent.

Ætate Berengarii, Gratianus, Monachus Benedictinus, Decreta Pontificum Romanorum in vnum volumen primus congeffit, circa annum Domini 1040. quod Decretorum opus etiamnum hodie nominatur, opus ad vsum forensem, ac quæstiones & lites illo seculo vexatas præfer-

ptæsertim accommodatum. Ante Gratianum Iuo Carnotensis Episcopus simile quiddam cōdiderat; & ante Iuonem Burchardus, Wormaciensis Episcopus, sed vterque ille tenuiori stylo, & argumento scripserat. Itaque Gratiani liber vberior habitus est, & propter iuris ciuilis authoritatē inualescentem, quam obscurabat, gratissimus Pontificibus Romanis fuit, imo etiam nouis Iurisconsultorum Italicorum Summis, tanquam locupletior quidam thesaurus, illa ætate illustratus, & omnibus aliis scriptoribus prælatus est. Denique causam quoque & argumentum præbuit, vt Pontifices Romani deinceps infinita quædam alia decreta conderent, quæ & ipsa postea à Gregorio IX. Pontifice Romano, circa annum Domini 1230. in vnum quoque corpus ac volumen, pluribus libris distinctum, sunt collecta, & Decretalia nominata. De toto Gratiani Decretorum volumine vide Hyperium de Studio Theologico lib. 4. c. 5. p. 621. & seqq.

Hæretici. A tempore Caroli Magni, siue ab anno Domini 400. vsque annum Christi 1520. pauca nouæ hæreses sunt ortæ. Multa autem fuerunt schismata, præcipue Pontificum Romanorum.